



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Annales Episcoporum Slesvicensium**

**Cypraeus, Johann Adolph**

**Coloniae Agrippinae, 1634**

Capvt XXII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64615)

## CAPVT XXII.

*Pontifice Albero Monachi laxare rigorem  
Incipiunt, vita ac liberiore frui.  
Ornatur variis tunc templis ora marina,  
Ac bellum geritur triste Canute tibi.*  
A.C.1086.

**A**NNO 1096. Alberus natione Danus, Episcopus Slesuicensis exortus est, ab Ascero Archiepiscopo Lundensi ritu solenni, moreq; consueto, ordinatus ac consecratus. Hoc tempore, cum Ecclesiæ creuissent, & facultatibus, prouentibus, diuitijsque locupletatæ essent, cœperunt paulatim homines religiosi & Sacerdotes, à maiorum virtute & pietate degenerare, & sese otio dedere, atque ad libertatem aspirare, vsque adeò vt eos disciplina, & Regula quadam vitæ coercere oporteret. Et cum ante id tempus illi, qui Religionem Christianam docebant & propagabant, ordinis essent Benedictini, (cuius erat & S. Anscharius,) mutato habitu religioso, nomen quoque mutarunt, volueruntq; *Canonici Regulares* appellari, à Regula, ad cuius præscriptum vitam suam instituerent: ita tamen, vt liberiore, quam ante, fruerentur aura. Interim tamen veste decente amiciebantur. Idem & Bremæ postea sub an. 1110. factitatum. Appellabantur autem Canonici Regulares à regula D. Augustini, Nam alij Canonici Regulares posterioribus demum temporibus, suam, ab alijs mutuati sunt, viuendi regulam. Ita Præmonstratenses à S. Nortberto Archiepiscopo Magdeburgensi circa ann. 1120. Hospitalarij S. Antonij à Gastone

Gastone viro Nobili ex Prouincia Viennensi circa ann. 1121. & c. Solebant autem ipsi sub sacro superpelliceis, sub albo amiculo vti. Retinent etiamnum Canonici Slesuicenses consueta & vsitata Canonico- rum nomina, nimirum *Prepositi, Archidiaconi, Cantoris, Diaconi, Sacrista, Hebdomadarij*, quorum vestigia ex veteri vsu ac consuetudine in Ecclesia Slesuicensi adhuc remanent ac supersunt. Hac ætate Religio Christiana, in Ducatu Slesuicensi incrementa cœpit maxima, locisq; maritimis *Eiderstedia, Strandia*, homines, qui ab humanitate longè abessent, paulatim barbarie exuta, ad Religionem animum applicauerunt. Ita vt in *Eiderstedia*, & *Strandia*, templa in honorem veri Dei, eiusq; cultum ædificari cœpta fuerint: SS. Apostolorum, aliorumq; sanctorum & Beatorum, (qui in numerum Sanctorum relati essent,) nominibus ipsis inditis. Anno 1103, die S. Benedicti, qui Paschales ferias antecedit, Sacellum ex ligno ædificari cœptum est, prope locum vulgo *Vittendune* appellatum, in *Eiderstedia*, in honorem Sancti Magni, in fundo cuiusdam Agricolaë vel Coloni, *Tadeni Eskelij*, & inde *Tatinga* appellata. Quæ appellatio in hodiernum diem manet. Idq; sacellum primum omnium in *Eiderstedia*, & locis illis, quæ mare aggeribus manufactis excludunt, à fundamentis erectum, maiores nostri memoriæ proditum dicunt. Hos alij sequuti, Christianæ Religionis propagandæ studio, & ipsi ædes sacras extruere ceperunt. Nam paulò post, Sacellum ligneum in loco, qui *Cleue* dicitur, prope *Garsand* in memoriã Diui *Bartholomæi*, & *Mariæ Magdalena* exædificatum fuit. Sacellum autem illud ligneum in *Cleua*, inundatione quadam euersum & collapsum, anno 1114. instaurarunt, in loco, qui dicitur *Garsand*, ad Orientem in honorem Diui *Bartholomæi*, & mutato nomine *Gardingam* appellarunt, quod adhuc hodie satis con-

spicuum est. Paulò post Diabolus, nascenti Ecclesiæ  
 aduersatus, in illis oris Religionis studia & successum  
 interturbare, vel potius extirpare conatus fuit. Idq;  
 ex eo colligere licet, quòd anno Domini 1113. *Boie-*  
*manni*, qui Parochiæ Cleuensi subiecti erant, impul-  
 fore Diabolo, virum optimum & sanctissimum, Pa-  
 storem suum Hermannum Lutkenum, inopinatò  
 adorti, neci tradidère. Principes, qui delictum illud  
 inultum pati nollent, præter multam, quàm satis  
 grandem persoluere coacti sunt, & Iure Patronatus  
 Parochianos priuarunt. Quod adhuc Principes in  
 hodiernum diem sibi retinent, & vsurpant. Ex æde  
 autem Cleuensi postea pullularunt & exorta sunt  
 alia templa, videlicet *Poppenbullum*, *Tetenbullum*, *Oster-*  
*beuera*, *Katrinherda*, *VVeltena*, & *Volleryvika*, paulatim  
 aucta religione, & gentibus, quæ ab humanitate lon-  
 gè aberant, ad fidem & religionem conuersis. [Anno  
 1245. Sacelli *Oldensvordensis* fundamenta iacta sunt,  
 & in *Holsatia*, locisq; finitimis, magna contentione  
 in ædium sacrarum ædificationem incubuerunt, vnde  
 permulta in Dei honorem templa extructa fuerunt,  
 vt in *Nouo Monasterio*, quod alio nomine *Falderam* vel  
*VVippendorpum* nominant. Item in *Dithmarsia*, vbi  
*Vicelinus* verbum Dei publicauit, Vir pius & miracu-  
 lis clarus, *Berdesholmi* sepultus. Cuius vitam & res ge-  
 stas latè persequutus est *Helmoldus*, nec non eiusdem  
*Continuator Presbyter quidam* *Bremensis*, è cuius hi-  
 storia, quæ scripta in nostra Bibliotheca asseruatur,  
 nonnulla in medium adferre lubet, quæ ad laudem ac  
 commendationem sancti huius Viri pertinent: vt qui  
 inter alios, insigne decus, ac clarissimum lumen *Patriæ*  
*nostra Holsatia*, dum vixit, extitit, eamq; tam luce di-  
 uinæ veritatis, quam miraculorum claritate, insigni-  
 ter ac præclare illustrauit ac decorauit. Vnde & Sa-  
 crosancta eius memoria, meritò nobis grata & com-  
 menda-

mendata esse debet. De eo autem sic Author commemorat. S. Vicelinus, fuit in Ecclesia Bremensi Scholasticus, & in Theologia disertus, qui multas habuit diuinas Reuelationes tempore iuuentutis sua. Hic semper aestuabat Barbaris, Sclauis, prope Holsatiam demorantibus, fidem Christi predicare. Nam illis diebus, in tota terra Wayororum, scilicet Plone, Oldenborch, Luttekenborch, & prope à flumine Egdora, & à flumine Sale, quod per villam Nigemunster transit vsque ad mare, in Lubeck, in Kyl, & inde porro vsque ad finem mundi versus Aquilonem, fides Christi in partibus illis nullibi habebatur. Et si aliquando habitauerat, tamen quasi per octoginta annos omnes à fide Christi declinabant. Hic S. Vicelinus, vestem Religiosam, quam Canonici Bremenses cum regula sancti Augustini abiecerant, derelinquere nolens, cum sancto viro, Thetmaro, Cantore Bremensis Ecclesia, partes Holsatiæ adiit, de iussu & mandato Reuerendissimi Viri Domini Adevveronis Archiepiscopi Bremensis & Hamburgensis, villam Wippendorp, alias Faldere, in qua Capella lignea constructa fuit, & per longa tempora deserta, in possessionem recepit, ac ibidem monasterium construi fecit, à quo Nigemunster, (alias Nevvmunster) per amplius uocitatum fuit. Ista Capella quasi prima fuit in tota Holsatia, & ibidem quamuis Christiani esse dicebantur, tamen lucorum & fontium error ac idolatria multiplex habebatur; & eo strictius, S. Vicelinus, de die noctuq; vigilando, orando, & predicando verbum Dei, seruiebat sub veste Religiosa & Regula sancta. Et dedit Deus ipsi gratiam in conspectu populi terra, vt audita resurrectione mortuorum & vita aeterna post hanc vitam, subito mutati sint, omnem idololatriam abijcientes, & soli vni vero Deo per amplius sese deuouentes; Et infinita plebis multitudo de Wagria, Plone, Oldenborch, & de Holsatia, Stormaria, & Ditmercia, ad audiendum nouum Predicatorem verbi Dei vitæ aeternæ illuc aduenit: recipiendo pœnitentiã peccatorum. Sed & multi etiam venerabiles Viri,

Eccle-

Ecclesiastici & Clerici, S. Vicelino, in ordine, regula, habitu, & sancta vita se copulabant. Acta sunt hæc, circa annum Domini millesimum centesimum vigesimum quintum, regnante Imperatore Ludero, qui Dux fuit Saxonum, & mutato nomine dictus fuit Lotharius, pius & iustus. Et Ducatum Saxonie obtinuit Hinricus Leo, Dux Bauariae, Sanctus autem Vicelinus, cui non solum fuit cura, suam propriam parochiam Nigemunster, & terram prope existentem Holsatiam, sed etiam terram Slauorum, Wagriam, Oldenborch, Lutkenborck, Lubeke, Plone, & circumadiacentes partes ad fidem Christi conuertere, primum in antiquam Lubeke in Svwartow sitam, verbū Dei seminando, per seipsum etiam illic Sacerdotes de suo Monasterio in Faldere erecto, constituit sanctos viros Ludolphum & Wolchardum, qui salutem populi procurarent. Tamen ob Barbarorum furiam, non diu post, Urbem antiquā Lubeke cum castro destruentium, antedicti sacerdotes Dei, Falderc, Nouum Monasterium reuiferunt. Nam quotiens S. Vicelinus quasi per 30. annos Verbum Dei Barbaris, Slauis predicare cœpit, aliquando per vnum annum, aliquando per duos vel tres, in Wagria, in Lubeke, Oldenburg & in circumiacentem terram fides pullulauit, tamen totiens à fide cepta Slauī apostarunt, & aliquando etiam Nouum Monasterium in Faldera desolabant, quorum furorem S. Vicelinus cum suis declinare volens, ad reseruandum personas notabiliore, & ornamenta Ecclesie & libros, habuit Ecclesiam Bisthorst in palude Haseldorp in asylum ac refugium. Vbi etiam Oratorium habebat ad exorandum auxilium diuinum. Circa idem tempus Adolphus Comes obiit, circa annum Domini millesimum centesimum tricesimum primum, relinquens post se heredem filium etiam Adolphum nomine, virum literatum, prudentem & strenuum, qui Theutunica, Latina & Slauica linguarum fuit peritus. Hic temporibus suis optime gubernauit terram Holsatiae & Stormarorum. Demum S. Vicelinus,

nihil

nihil se posse proficere in spiritualibus vidit, nisi Barbarorum, Slauorum populus valida manu per vim Principum secularium deprimeretur, adiit itaq; Cæsarem Lotharium, virum cultum Dei diligentem in Bardevvick, ibiq; illi revelauit, esse in terra Wayorum montem præexcelsum, super quem si castrum construeretur, quod exinde Slaui ad fidem compelli possent. Imperator vero illuc accedens, & ita inueniens, castrum de super edificari fecit satis firmum ac validum, anno Domini millesimo centesimo tricesimo quarto. Quod Slaui videntes dixerunt ad inuicem. Quis proditor huius montis apud Cæsarem fuit? Et vnus ex eis dixit, quod paruus homo & despectus Vicelinus, propter verbum Dei hoc procurasset. Et Cæsar huic monti, ob victoriam nominis Christiani, dedit nomen Victoralis mons, vulgariter Segeberg (von Sieg oder ob siegen dictus.) Ac etiam suasu ac precibus S. Vicelini, sub monte Ecclesiam & Monasterium fundauit, cui sex villas contulit fratribus in stipendium prope adiacentes. S. Vicelinus igitur de Nouo Monasterio, fratres ibidem ad seruiendum Deo, ad edificandam Ecclesiam in Wagria collocauit, cum ornamentis, libris, & clenodiis necessariis, pro vsu suo, & Ditmarum Cantorem Ecclesie Bremensis, suum coadiutorem illis proposuit ad regendum: atque in Lubeke iterum Ludolphum Brunonem, ac Hermannum, ad verbum Dei prædicandum, destinauit. Imperator vero Lotharius, in profectioe Italica, immatura morte circa annum Domini millesimum centesimum tricesimum septimum præuentus est, eiusq; corpus deductum fuit in Saxoniam, in Lutteram, ex nomine suo appellatum monasterium, ibidemq; prope Brunsvvig fuit tumulatum. Quo mortuo, iterum Slaui in Lubeke à via veritatis declinantes, suburbium ante castrum Segeberg, cum nouo Oratorio igne consumebant. Sacerdotes Dei, de Lubeck & Segeberg, ad Falderam nouum Monasterium, vnde iam sæpius emissi, cum incrementum satore Diabolo habere non poterant, iterum reuertentes, graui mæstitia confecti

confecti sunt. Ideoq; fidelius se Deo commendabant, in ieiuniis & Orationibus, die noctuq; orare pro nouella Ecclesia non cessantes. Nam tanta fuit in Falderensi Monasterio virtuosa vita fratrum, quod verbo explicari non potest. Infirmi illuc deuenientes sanabantur, Demones ab obsessis eiciebantur, clamantes igne virorum Sanctorum se vri.

Adolphus vero Comes secundus, circa annum Domini millesimum centesimum tricesimum nonum, castrum Segeberg muro cinxit, ac suburbium & Oratorium de nouo construi fecit, iterum remissis de Faldera Presbyteris, & Clenodiis, pro vsu cultus Dei necessariis; ac etiam misit Legatos, ad Flandriam, Hollandiam, Traiectum, Westphaliam & Frisiam, faciens proclamari, quod quicumque agrorum penuria arctarentur, venirent in terram suam spaciosam & fertilem in terra Wayrorum, olim Slauorum inde expulsorum. Et precipue Holfatis atque Stormaris dixit, quod ipsi in eligendo, quamcunque partem habere velent, eò quod sanguine parentum suorum eam mercati fuissent, praeferrì deberent. Et dedit Holfatis terram à Bornehouede vsque Segeberg, & Plonensee, Westphalis dedit solum Bargardensem, Hollandis Vthinentiem, & Frefis dedit Susle, Oldenborch, Lutkenborch; & circa mare terras adiacentes dedit Slauis, faciens sibi per amplius tributarios vsque in istum diem. Idem quoque Author (Continuator scilicet Helmoldi) nò multo post, breuem quasi descriptionem totius Slauiae, vbi S. Vicelinus maximam ætatis partem docendo ac rem diuinam faciendo transegit, nobis ob oculos ponit: dum porro inquit. A flumine Egdora, quæ est finis Regni Daciae, erat initium Slauis, Nigemunster, Kil, Lutkenborg, Segeberg, Oldenborch, Fimbria, Lubeck, Svverin, & sic ad Orientem ascendendo vsque ad Prutziam. Et per Marchiam Brandenburg, Mysen, Bohemiam, Moruos & Polonos Slauia antiquitus extensa fuit. Et tres Nationes scilicet Stormaria, Dithmaria & Holfatia, Nor-

Nordavvingi etiam ultra Albeam, Saxones fuerunt vocitati. Quae nationes tota, longè ante Slauiam, à sancto Anshario, Archiepiscopo Hamburgensi, receperunt verbum Dei, & sub fide Catholica manebant, quamuis non bene fundata totali doctrina vsque ad tempora sancti Vicelini, qui postquam Ecclesiam Nouum Monasterium in Faldera siue Wippendorpe fundauerat in finibus Slauia & Holsatia, & primo suos totaliter ad fidem conuerterat, demum operam dedit, Domino operante, Slauos vicinos ad fidem conuertendo, in Lubeck primam Ecclesiam fundando S. Iohannis in arena, & ibidem verbum Dei & circumquaque Prædicando. &c. Vbi Auctor initium ac originem Prædicationis verbi diuini cultusq; sacri, in ijs locis ad Ansharium refert, complementum vero ac confirmationem S. Vicelino tribuit: vnde & paulò post addit. Tota Dania, Suecia & Norvvegia Originaliter per Ansharium sanctam fidem receperunt. Quod & ipsum Breuiarium nostrum Slesuicense ab Episcopo Godschalco de Aleuelde editum itidem clare indicat ac testatur, vbi hæc oratio habetur.

Deus, qui B. Ansharium Pontificem donasti sanctum Doctorem Genti Danorum: ipsius intercessione da nobis remissionem omnium peccatorum, & supernorum tripudia gaudiorum. Quanta autem sanctitate, ac pietate, morumque grauitate, ac honestate, sacrosanctum hunc suum Episcopatum ac Sacerdotium ornauerit ac decorauerit: quanta itidem cura ac diligentia, S. Ansharius, diuinum hoc suum munus obierit ac perfecerit, eius filij ac discipuli cum summo luctu animiq; ægritudine, testimonium ipsi præbent verissimum ac luculentissimum, quod sequentibus verbis in hoc Breuiario describitur ac continetur. Nos filij atque discipuli, Reuerendissimi Patris Ansharij, inter varias pressurarum angustias positi, veraciter iam sentimus, quid amiserimus, & quid pro nobis dolere debeamus, intelligimus. Viuente enim

Episco-

Episcopo, nihil nobis deesse credebamus. Eius namq̄, sanctitatem Reges honorificabant: Pastores Ecclesie venerabantur: Clerus imitabatur: populus vniuersus admirabatur. Et dum illum cuncti, sanctum & iustum prædicarent, nos quoque tanquam corpus capitis, pro eius bonitate, venerandi, ac laudabiles videbamur. Nunc tanto munere frustrati, de nostris meritis non præsumimus, quin magis timido corde expauescimus, ne peccatis nostris promerentibus, luporum patere incipiamus morsibus. Mundus namque in maligno positus, magis ea, quæ iusta & sancta sunt, euertere, quam Religiosa quarit erigere. Sanè, qualis in semetipso Vir Beatus extiterit: qualiter & corpus suum afflixerit, iam nunc tempus est narrandi. Nam vt auditum habemus: ipse adolescens & iuuenis, apud nos in monasterio constitutus, senibus & grandæuis mirandus videbatur & imitandus: iam vero apud nos, sumpto Episcopatu, quod in monasterio inchoauerat, modis omnibus augmentare, & vitam omnium Sanctorum imitari studuit, specialius tamen vitam sancti Martini. Cilicio namque ad carnem non solum de die sed etiam de nocte vsus est. Hæc ibi.

S. Vicelinus tandem, multis exantlatis laboribus fractus ac debilitatus, consummato vitæ curriculo, ad cœlestem patriam hinc emigravit: vt de eius Beato ac felici discessu Chron. Slau. memorat. Vicelinus Vir sanctus in Faldera post modica tempora paralyti dissolutus, officium lingue perdidit, totumq̄, denique latus dextrum exaruit, iam defuncto sanctissimo viro Thetmaro, nec non castro Pluniensi readificato; Duobus annis & dimidio Vir sanctus Vicelinus versatus est in loco aegritudinis, nec sedere, nec iacere contentus, eratq̄, fratribus cura simul & incredibilis mœstitia de eo: frequentius ad Ecclesiam baiulabatur &c. Vicelinus vero post hoc obiit, pridie Idus Decemb. Anno Domini 1174. sedit in Episcopatu annis 5. mensibus 9. & sepelitur in Faldera (siue Bordesholmi vbi adhuc lapis eius sepulchralis extat) præsentè Racesburgensi Episcopo, &

po. & officium consummante. Extat quoque in libro, de  
 Scriptoribus rerum Germanicarum Septentriona-  
 lium, vicinorumq; populorum diuersorum, studio  
 & opera *Erpoldi Lindenbrogi* edito, poema antiquum  
 de vita ac rebus gestis *Vicelini*, venustum ac memo-  
 rabile, quod illic legere ac videre licet.

---

 C A P V T XXIII.

**S**Ed ad *Canutum* reuertamur. Hac tempestate,  
*Henricus Slauorum* Princeps rebus humanis ex-  
 emptus est. Hic, vt supra ostendimus, cum  
*Canuto* pactus erat, vt sibi mortuo *Canutus* in  
*Slauia* regno succederet. Qua de causa *Canutus* apud  
*Lotharium Saxonem* instat, vt Regno illo sibi ex  
 pacto delato inauguraretur, eiusq; confirmationem  
 petit. *Lotharius*, qui *Canutum* multis de causis ob-  
 seruabat, & diligebat, & eo imprimis nomine, quod  
 aulam eius diu sequutus esset, precibus tandem lo-  
 cum reliquit, & *Corona* capiti eius imposita, eum  
*Regem Obotritorum* renunciauit ac declarauit. *Kanu-*  
*tus Rex* exortus, secum deliberare ac dispicere cœpit,  
 qua ratione *Slauos* rebelles ac perduelles in fide &  
 officio retinere, & à defectione prohibere posset.  
 Quam ad rem montem editum atque excelsum, (qui  
 vulgo *Segeberga* dicitur, olim *Alberga* nuncupatus,)  
 magno adiumento fore existimans, in eo casas & æ-  
 diculas strui curauit, quæ munitionum instar essent:  
 cum finitimis quoque *Holfatis* pacem & amicitiam  
 confirmat, quorum opera & auxilio in reprimendis  
 ac subigendis *Slauis*, si fortè ad ingenium redirent,  
 & rebellarent, commodè vteretur, &, si res postula-  
 ret, inde in *Slauiam* irrumpere, obuiumq; quemque  
 K proster-